472
470
476
466
481
461
521
421
571
371

ditur. Via sinistra est in montana contra Pontinam. Peracto igitur prandio equos adscendimus et contra Fericium montem altum (**229 a**) iter aggressi sumus venimusque ad montis custodiam, Sigmundsburg, ubi lacus parvus, in quem decurrunt aquae defluentes, in medio lacus extollitur monticulus, in quo fortalitium pulchrum est, magis ad delectationem quam ad munitionem constructum, siquidem dux Sigismundus voluptuosam vitam duxit et in multis locis terrae suae domus, voluptatis suae officinas, construxit. Juxta locum illum montis ascensus incipit, per quem omnia onera curruum et onerariorum equorum de Italia ducuntur in Teutoniam et de Teutonia in Italiam. Ascendimus ergo Fericium cum labore, et ab alia ejus parte a summo descendimus longa via inter montana, et per Lermoss et alias villas usque in Rûti villam equitavimus, et ibi noctem egimus. Juxta Rûti villam decurrit Suevis Bavarisque notus fluvius, Licus dictus vel Leca, vulgariter Lech, qui juxta Augustam Vindelicam, insignem Sueviae urbem, decurrit et contra Danubium tendens juxta oppidum Rein dictum Danubio jungitur. Hic fluvius discriminat Suevos a Bavaris, et aegro animo ferunt utrique, si quid possessum fuerit in alia parte ab aliis, jam tamen Bavari longe ultra Lecum palmas suas extendunt, non sine terrae commotione et perturbatione. Supra villam Rûti est ascensus altus in montana, per quem descendimus in villam, et in stricto descensus ante fortalitium est custodia montium nova et firmissima muris, vectibus et seris, et in supremo castrum Ehrenstein est inexpugnabile.

Vicesima sexta die, sumto jentaculo in Rûti et transmisso ponte descendimus per aulonem nemorosum et in aestate satis amoenum propter alta montana ab utraque parte, et propter nemora et prata et decurrentem Lechum, et transcurso oppido Vils et villa Nesselwang in silvam Campidonensem venimus, quae finem facit montibus. Silva hac penetrata in ipsam civitatem Campidonam descendimus et noctem ibi egimus. Hanc civitatem transfluit Ilarus, fluvius de Rhaeticis Alpibus descendens, qui juxta Ulmam a Danubio suscipitur, ut patebit.

Campidona oppidum novum, populosum et magnum est, in ejus celsiori loco stat grande monasterium ordinis divi Benedicti, quod S. Hildegardis Caroli Magni fundavit, anno Domini DCCLXXIII, et ipse Carolus M. anno sequenti ratificavit et pluribus bonis

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;